ANNO SALUTIS 1575

VII Aprilis Ioachimus Erneſtus Dúx &c. Aſcaniæ & Anhald Dreſdam úenit, equis número 60.

Poſt húius ingreſſúm circa primam pomeridianam Elector Saxoniæ Dúx Anhaldinús, Dúx Lignicenſis, Comes a Barbi, Comes in Hollach Baro a Schonbúrg. Baro a Lichtenſtein Baro a kúrzbach, Fabianús a Schoneich. equis 1030 ad excipiendúm Electorem Brandebúrgenſem cúm filio Epiſcopo Magdeburgenſi et adminiſtratore Hallenſi, úrbem egrediúntur, quorúm exercitus erat equor. 340 Erat cúm ipſis Leonhard Túrnheiſer.

X Aprilis Elector Saxonicus et Brandebúrgenſis cúm reliquis principibus qui túm aderant Pirnam ad excipiendum Cæſarem proficiſcúntur. Venit Cæſar eó die ſequenti

XII Maximilian. Cæſar Dreſdam in naúi úectús cúrrúm extra portam cúm legato hiſpanico conſcendit, dúo latera occúpabant Aúgúſtus Elector Saxoniæ et Elector Brandenbúrgenſis. Cúrrúm præibat Rex Vngariæ quem ſequébantúr tres Archidúces Aúſtriæ, Cæſaris filij Cúrrúm Cæſaris ſequebatúr Maria Cæſaris úxor cúm tribús úirginibus úeſtalibús quarúm duæ Cæſaris erant ſorores.

Erat cúm exercitú Cæſaris Cancellarius Imperij D. Weberús et Cancellarius Bohemiæ Dominus a Berenſtain D. Johannes Crato et Rúbertús Dodonæús ambo Imperatori a cúra corporis.

XIIII Extra úrbem, Vrſúm, Lúpos, úúlpes, et lepores úenantur

XVII Cæſar cúm filijs armentarium Electoris ingreditur

Hic quoque die lúdis quidam igneús et tormentis comparatus in hon[o]rem Cæsaris incenditur uesperi sub Octauiam statuis constituendis hæc erant inſcripta. I. Vt lernam Hercules numeroſum licet monſtrum igne tandem uicit et mori docuit Sic Auguſtus Dux Saxonum, et Elector Heros inclytus ſectam Calúiniſtram in has terras irreptam et diſſimulanter nutritam Deo iuuante et ſupprimet et uincet. II Maximiliano II Imp. Max. Cæſari Auguſt. ob deſideratiſſimum illius aduentum Auguſtus Dux Saxoniæ Elector gratulationis et obſeruantiæ ergo F. C. III Der kayſerlichen Maieſtat zu ehren angerichtet hat Churfurſt Auguſt dis feuerwerg Mit diesem Rieſen und dem zwerg IIII Das feuerwerck angerichtet hat Der Romiſch kaiſerlich Mayeſtet Zu luſt gefallen dienſt und ehren Seinem allergnedigſten Hern Hertzog Auguſt Churfurſt zu ſachſſen, Gott laſſe ſie beide in wolfart wachſſen,

XVIII Cæſar Dresda cum ſuis diſcedit, Comitantur eum Pirnam usque Electores et principes

Ingreſſus Romanæ Cæſareæ Maieſtatis in urbem Dreſdam XII Aprilis anno qui notatur hoc Chronodisticho

Cæſar In AprILI (ter habet SoL CornVa TaVrI)
DresDenæ AVgVſtæ, teCta referta CoLIt

M. Val. Apelles

GRATVLATIVNCVLA.

IN HONOREM

SACRI NVPTIALIS ORNATISSIMI ET IVRISPERITISSIMI VIRI IOACHIMI RVMPSHAgen ſponſi, & dilectiſſimæ pudiciſſimæq; ipſius ſponſæ Annæ Santzen, honeſti quondam & primarij ciuis Chriſtophori Santzen Neobrandenburgenſis piè defuncti filiæ.

Scripta ab Amico

IOACHIMO CRVSIO
NEOBRANDENBVRGENSI
Vuittenberga diſcedente.

VVITEBERGÆ
Excudebant Clemens Schleich & Antonius Schöne.
M. D. LXXV.

Suo chariss: Damno
devotiszo dedit Ioac
Crusius in ...

POSTQVAM SAPIENS ET omnipotens Deus huic pulcherrimo opificio cœli & terræ atq; omnium animalium ſub hoc ſeſe mouentium, quinto ſuæ creationis die finem impoſuiſſet, tandem ſexto die ad hominem iuxta imaginem & ſimilitudinem ſuam creandum, cui animam intelligentem, lucem ſapientiam & virtutes pulcherrimas, vt iuſticiam, bonitatem, caſtitatem, lætitiam ſempiternam, &c. communicaret, ſingulari conſilio & cum deliberatione totius trinitatis acceſſit, quem ita formauit vt eſſet præco quidam, qui res ab ipſo creatas cum admiratione intueretur, Deumq; in perpetuum agnoſceret & celebraret, & rebus omnibus conditis frueretur, atq; præeſſet. Itaq; hominem Adamum primum noſtrum omnium parentem ex limo terræ finxit, quo formato dixit: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium quod coram ipſo ſit. Mulierem igitur Heuam ex coſta Adami ſopiti de corpore ipſius depromta effinxit, atq; ipſi ſociam in rebus cum ſecundis tum aduerſis adiunxit, quod tota diuinitas amans caſtitatem, admiranda ſapientia & grauiſſima deliberatione, ſtatim poſt creationem ita fieri voluit, qui his copulatis in Paradiſo per ſummum Sacerdotem Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM dixit, Creſcite & multiplicamini & replete terram & ſubijcite vobis eam &c. Hæc

igitur inſtitutio illuſtre diſcrimen inter Deum ac naturas immundas diabolorum hominumq́ facit. Cum vero omnes res graues ab inuocatione ardenti numinis diuini inchoari debeant, laudo conſilium tuum ornatiſsime ac doctiſsime Domine Ioachime, quod viuere in coniugio caſto & pio decreuiſti & Deum æternum patrem Domini noſtri IESV CHRISTI conditorem generis humani & autorem dulciſsimi fœderis coniugalis oro, vt vobis ſemper adſit, & coniugium veſtrum & totum vitæ curſum gubernet. Atq́ eò vel maxime gratulatione omnium dignus es, quòd ſacroſanctæ ordinationi diuinæ obtemperas. Ex tali enim indiſſolubili coniunctione excerpere ſibi Eccleſiam voluit, cui ſapientiam & bonitatem in omni æternitate communicaret, & à qua ipſe viciſsim agnoſceretur & celebraretur. Sic igitur in coniugio honeſto nos viuere voluit vt caſtitatis amantes ipſum quoq́ coniugij autorem mentem caſtam ac mundam à cæteris creaturis libidinum confuſionibus pollutis ac contaminatis ſecernamus. Eſt enim caſtitas virtus non ſolum omnium maxima, ſed etiam ſine qua cæteræ ſunt ſimiles pulchræ ſtatuæ, cui caput auulſum eſt, quod hiſce verſibus expreſsit Bacchylides, quos ita reddidit Dn. Philip: Præceptor omni obſeruantia colendus.

Vt cum de ſtatua facies formoſa remota eſt
Non decus in reliquo corpore truncus habet:

Sic

Sic alij mores ſpreti ſine honore iacebunt,
Ni ſint ornati laude pudicitiæ.

Eſt itaq; caſtitas virtus neceſſaria, deuitans omnem commixtionem aut effuſionem ſeminis, ac frenans omnes vagas libidines prohibitas lege Dei. Procul etiam ab hac dulciſsima cohabitatione ac conſuetudine Tyrannis ac immanis ſæuicia, quam Diabolus mille artifex vt plurimum inter coniuges ſpargit, abeſſe debet, ne ipſi aditus ad alia grauiora ſcelera immiſcenda pateat, ſed viri viuant cum mulieribus ſecundum ſcientiam quaſi infirmiori vaſculo muliebri honorem impertientes, tanquam cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes eorum: in fine autē omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles. Et mulieres viciſsim omni tempore ſubditæ ſint viris in domino, exemplum ſumentes à Sara, quæ ſemper marito obtemperans dominum ipſum vocauit. Inſtitutum autem eſt coniugium præcipue etiam ob hanc cauſam, vt diſcrimen quoddam inter creaturas rationales & irrationales fulgeat, ne inculto & barbaro modo vitam duceremus. Alias quid differentiæ eſſet inter nos & bruta animalia? propter turpia enim libidinum incendia & regna & vrbes interijſſe conſtat, vt eſt conflagratio Sodomæ & Gomorrhæ, Troiæ, Spartæ, Thebarum, & innumerabilium vrbium aliarum multa-

rum etiam gentium & hominum interitus. Splendeat quoq; in hoc veſtro coniugio mutuus amor, ſyncerus, ſuauis, qui nihil ſuſpicionis aut ſimulationis in ſe contineat, ſed ſemper ſit ardens & mutua ϛοργή, deinde fides coniugalis, tum generatio, poſtremo defenſio, ob quas cauſas enumeratas vt plurimum coniugium contrahitur. Hæc igitur ſi obſeruaueritis, certo Deus cuſtos veſtræ ſocietati & domui aderit, omnesq; ærūnas ac dolores coniugales leniet, quemadmodū multis pijs viris in ærumnis ſuis præſtò fuit, & placidos tandem exitus ex hac vita conceſſit. Ad extremum conſolatio omnium piorum in coniugio viuentium eſſe debet, quòd ideo matrimonium contrahunt, vt Deo (teſte Platone) alij cultores & miniſtri noſtro loco ſubſtituantur, & vita tāquam lampas tradatur poſteris & ſic in perpetuum Deus colatur & celebretur. Hæc doctiſſime Ioachime amice omni obſeruantia colende in præſentia ad te ſcripſi, vt ſpecimen aliquod gratæ mentis erga te ederem, & oro æternum Patrem Domini noſtri IESV CHRISTI, vt hoc nouum vitæ genus tibi ac ſponſæ tuæ dilectiſſimæ fælix ſit, fauſtum, ac ſalutare, Benedicat tibi Dominus ex Sion, vt videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ, & videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſrael. Vale.

Tuæ Humanitati addictiſſ: Ioachimus Cruſius
Neobrandenburgenſis.

EPIGRAMMA AD SPONSVM.

POST mille exhauſtos belliq́ mariſq́ labores,
Hoſtileſq́ metus, inſidiasq́ truces,
Reſtituit patriæ tandem ſopor altus Vlyſſem,
Necdum viſa viro patria preſſa pede eſt:
Te quoq́ doctrinæ ſtudio, Ioachime, coëgit
Indefeſſa vagas mens reperire vias.
Vidiſti Alcinoi fragrantes floribus hortos,
Quos Sophiæ ſuccis leucoris ora rigat.
Antiphataq́ domos vidiſti & inhoſpita tecta,
Sequana vbi indigno tincta cruore fuit.
Non inuiſa tibi lotos, non atria Circes,
Quã latiæ fraudis regna inimica patent.
Nunc dulci in patria dum te ſopor almus habebat,
Coniugij in portu reddita amica quies.
Sic geniali horto ſopito ceſſit Adamo
Pro coſta ſocij caſta marita iugi.
Sit felix precor iſta tibi reparatio coſtæ,
Firma quies, thalami pignora, ſuaue iugum.
Hac mea vota ferens Muſa obuia, (nempe bonorum
Gaudia feſta boni ſponte ſequuntur,) adeſt:
Agnoſces veterem Ioachime & amabis amicum,
Nec ſpernes cara munera parua manus.

M. Conradus Bergius.

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMAN...